

Viola anime pmo

dum dyalogi: inter Raymundū Gebundū: artium: medici-
ne. atq; sacre theologie pfessorem eximium. et dominū Domi-
nicū seminiuerbium. De hominis natura (ppter quem omnia
facta sunt) tractans. Ad cognoscendū se. deum. et hominem.

Epygramma.

Multiplices cernis iamiam studiose libellos
Quos impressorum prestitit arte labor
Ille tamen noster nunq; prius vsque repertus
Et fuerat paucis cognitus ante liber:
Vtilis in primis frugi & breuis ille libellus
Sub modicis chartis commoda multa tenens
At labor est ingens: multos percurrere libros
Pro multis nobis hic satis vnuis erit
Est opus electum: nomen viola: atq; legenti
Vtilis: & nullo frigore lesa viret:
Emptor habes animā valeas quo pascere flore
E ccelo venit: quicquid odoris habet
O quotiens dices: valeas bene candide dorlant
Qui primus doctis tradidit auctor opus.

2108

Mathei Herbeni poete laureati Epygramma ad lectores.

Quisq; breui cupias artis cūctas superare
Atq; oculo mentis cernere mira dei
Ire per ambages: ac mille volumina librum
Non opus est: namq; huc per docet iste liber
Ergo ebeat artes: et do gmata philosophorū
Rusticus hic vere doctior esse potest
Grammaticus solus sapit hic plus arte: q; ille
Qui cunctas alias hac fine posse putat
Nēpe docet gradib; q; bus ardua scādere possis
Nature: que simul discere quid sit homo:
Nec contētus eris: si te quoq; noueris ipse
(Qd magnum est) pariter ducit ad alta dā
Nec reuocare pedem finit ad diuos pperantem
Ni doctus redeat: qui rudis ante fuit
Hinc tua ppetua merces dorlande manebit
In gēmo cuius voluitur iste liber
Extractus magno summa studio Raymundi
Theologi sacri: que spaciofa fuit

Finit Epygramma.



Distinctio libri cū Tabula **P**resens liber qui Viola anime

intitulatur; in septem distinguitur dyalogos.

- P**rimus tractat de natura hoīs inquantū hō est. & de his q̄ sunt necessaria hoī ad cognoscendū seipm. deū. & primum
- S**ecundus. de beneficijs dei & hominis obligatione.
- T**ertius. de amore & viribus eius. & ditionibus & fructibus
Quomodo deū optimum maximum debeamus amare
- Q**uartus. q̄o debeamus deū timere. adorare. laudare. honoreare. Et qualiter ad hoc obligatur homo
- Q**uintus. de lapsu miserabilis generis humani. Et q̄ per vnum hominem omnes cecidimus.
- S**extus. de reparatione lapsi hominis. & q̄ per vnum omnes resurgimus.
- Septimus. de misterijs sacre passionis domini iesu christi**
inter Mariam & Dominicum dyalogus

Incipit tabula capitulorum.

Prologus in sex dyalogos exprimēs q̄ sit necessarium nosse que hic describuntur.

Isagogicum sive introductorium in materiam sequētem.

Capitula primi dyalogi.

- C**apitulū p̄mū. de scala nature p̄ quā hō scandit ad semetipm
- C**apitulū scdm. Qūo hō cum rebus se inferioribz conueniat.
- C**apitulū tertii. Qūo deus h̄z esse. viuere. sentire. & intelligere.
- C**apitulum quartum. Q̄ sicut homo habet esse: ita habet viuere. sentire. & intelligere.
- C**apitulum quintū. Q̄ deus h̄z voluntatē & liberū arbitrium
- C**apitulum. vi. Q̄ deus de sua natura deū. pduxerit rationibus aliquantis ostenditur.
- C**apitulū. vii. Q̄ in simplicissima atq; indiuisibili vnitate summa sit trinitas personarum
- C**apitulum. viii. Q̄ comparatur homo ad res inferiores triū graduum penes conuenientiam specialem.

Tabula Capitula secundi dyalogi.

Capitulum. ix. Hic cōparatur homo ad res se inferiores penes differentiam generalem.

Capitulum. x. practica huius regule ad pbandū oīa pfectissima de deo

Capitulum. xi. Qūo per scdaz opationem intellectus hō om̄ia affirmat vel negat q̄ sunt homini nccāria inquantū est hō

Capitulum. xii. De comparatōe hominis ad res inferiores penes liberum arbitrium p̄ quod oritur de hoīe et opibus eius

et de deo vera cognitio.

Capitulum. xiii. Q̄ deus p̄miator aut punitoꝝ est infinite sapiētie. potētie. iusticie. et misericordie. et vñꝝ est tñm p̄miator ac vltor deo

Capitulum. xiv. Sicut ex natura liberi arbitrii pgnoscitur qđ deo sentiendū sit. ita et p libez arbitrii pgnosci pñt q̄ hois sit

Capitulum. xv. Qūo homo differat a rebus se inferioribus penes cognoscere se habere. et hec est specialior differētia.

Capitulum. xvi. Quomodo oīa seruūt anime humane. et de magnitudine obligationis.

Capitulum. xvii. Qūo homo etiam obligatus est deo p̄ his que accepit in seipso.

Capitulum. xviii. De magnitudine obligatōis ex pte datis et recipiētis

Capitulum. xix. Quid hō refundere tenetur p̄ acceptis beneficijs: suum sc̄z amorem.

Capitulum. xx. Q̄ debitum amoris quod hō reddit creatori ad hominis meritum et commodum reuertitur

Capitulum. xxi. Q̄ homo obligatur amare etiā omnem creaturam et precipue dei imaginem

Capitula tertij dyalogi.

Capitulum. xxii. De conditōibus et p̄prietatibus amoris.

Capitulum. xxiii. Q̄ amor tantū se dilatat vel amplificat quanto se amplificat res primo amata.

Capitulum. xxiv. Q̄ tñm due sunt res principaliter amate: et iniuricia earum ad iniucem.

Capitulum. xxv. De finali fructu qui nascit ex bis duobus amoriibus. et de gaudiis proprietatibus

Capitulorum

Capitulū. xxvi. De yltero gaudio quod post mortez erit. et de amore dei et salute proximi

Capitulū. xxvii. De fructu q̄ nascit̄ ex amore p̄prio et p̄prietati bus eius. et h̄ fructus acerbissim⁹ est. et de p̄prietatib⁹ gaudi⁹

Capitulū. xxviii. De finali fructu qui nascit̄ post hāc vi (mali tam. de amore sui sc̄z eterna tristitia.

Capitulū. xxix. Q̄ deus creator: et ipse om̄es creature: corpus quoq; ip̄m animam miseram persequuntur.

Capitulū. xxx. Q̄ sicut homo obligat̄ ad amorem ita etia; ad odiū. et de odi⁹ proprietatibus.

Capitulū. xxxi. Q̄ sunt duo prima odia sicut duo primi amo res. et de odiorum fructibus.

Capitula quarti dyalogi

Capitulū. xxxii. Sequuntur alia quedam debita vltra amore que homo tenetur reddere creatori suo

Capitulū. xxxiii. Q̄ vñiquodq; debitū habet p se p̄priā ratio nem specialem quare debeat deo dari.

Capitulū. xxxiv. De timore et de duplicitate et eorum conditionibus et fructibus.

Capitulū. xxxv. De honore et q̄ omnia deus fecit ppter suum honorem et hois utilitatē. Et valde pulcre cōsideratōes oriunt̄ ex eo q̄ deus fecit omnia ad suum honorem

Capitulū. xxxvi. Q̄ deus sicut ppter suū honore ita et ppter suū

Capitulū. xxxvii. De obligatione homi (nomē oīa opatur

n̄ erga honore et laudem et nomen dei

Capitulū. xxxviii. Q̄ honor proprius est dei honor contra rius et capitalis inimicus.

Capitulū. xxxix. Q̄ homo obligatur ex parte honoris dei c̄dere omnibus verbis eius et ea honorare

Capitulū. xl. De p̄prietatibus verbi dei. et qualiter se hō gere re debet circa sanctam bibliam

Capitulū. xli. Comparatio verbi dei ad creaturas. et ybo dei affectus pascitur et intellectus.

Capitulū. xlii. Agit̄ de tertia natura creata q̄ sine corpe p̄sistens tota sp̄ualis ē Et de bñficijs nob exhibitis et obseq̄is ageloz

Tabula Capitula quinti dyalogi.

Capitulum. xliij. **A**n talis sit homo qualis esse debet. et an facit quod facere tenetur.

Capitulum. xliij. **Q**uoniam homo potest considerare corruptiōem suam per res externas in se corruptas.

Capitulum. xlv. **Q**uoniam lapsus et corruptio hominis potest attendi ex parte iuris paternitatis et filiationis.

Capitulum. xlvi. **Q**uoniam etiam lapsus hominis potest ostendari ex parte iuris fraternitatis.

Capitulum. xlviij. **Q**uoniam dominus deus non condidit hominem in isto statu in quo nunc lapsus iacet.

Capitulum. xlvij. **Q**ualis erat status hominis primus. et quae habebat conditiones.

Capitulum. xlxi. **D**e origine corruptiōis et malorum quod est in natura humana.

Capitulum. l. **Q**uoniam propter primū virū et primā mulierē propter eorum inobedientiam huius malū culpe et pene in oīe hominum genus intromissum est.

Capitulum. li. **Q**uoniam non quae dei precepta fregisset nisi fuisset ab alio instigatus. Et quoniam natura angelica primū sic corrupta.

Capitulum. lij. **D**e magnitudine malicie et corruptiōis in primo angelo: et malo eius culpe et pene.

Capitulum. liij. **Q**ualiter homines incorporantur cum lucifero et sunt membra eius.

Capitulum. liij. **D**e multiplici carcere et captiuitate lapsionis.

Capitulum. lv. **Q**uoniam corruptio liberi arbitrij et ipsius carnis contra ratio modo se habet in primis parentibus et in posteris.

Capitula sexti dyalogi

Capitulum. lvi. **Q**ualis et quae magna sit hoīs obligatio propter iniuria et offensa dei. Et quae graue sit peccatum originale ad eum.

Capitulum. lvij. **Q**uoniam homo indiget satisfactione infinita que soli non potest nisi per infinitam personam.

Capitulum. lvij. **D**e conditionibus quas oportet habere hanc gloriam infinitam pro nostra satisfactione.

Capitulorum

Capitulum.lix. **D**qualiter homo iste poterit occidi ad dei honorem. et quis eum occidet.

Capitulum.lx. **D**e conditōibus et circūstantijs quas hec mors preciosa est habitura

Capitulum.lxi. **D**eclaratio q̄ rōnabiliter seq̄tur saluatio humane nature per hāc mortem. et quomodo mors christi omnem culpam exterminat.

Capitulum.lxii. **D**qualiter vir iste se habebit post mortem ad seipm et ad omnes creatureas.

Capitulum.lxiii. **Q**uod deus volet hominem ligari. et q̄ iesus christus ipse sit iste homo

Capitulum.lxvii. **Q**ue sunt illa maxima dona que homo misericordis recipit a iesu christo

Capitulum.lxv. **Q**usta gratia est totū bene esse hominis: et eius parentia malum esse eius.

Capitulum.lxvi. **Q**in homine christiano sunt tres generaciones et tres fraternitates distincte.

Capitulum.lxvii. **Q**uod mors christi vnde homini gratia conferatur et bene esse generat in homine christiano vna nouā obligatōem. Et qualiter solui potest ista obligatio

Capitulum.lxviii. **Q**uod licet homo lapsus reparēt quantū ad bene esse anime. manet tamē malum pene in corpore.

Capitulum.lxix. **Q**uibus formis aut medijs christianus accipit bene esse a christo **D**icitur incipit materia de septem ecclesie sacramentis.

Capitulum.lxx. **Q**uomodo p̄ primū sacramentū sc̄ baptismi datur anime humanae bene esse

Capitulum.lxxi. **D**e sc̄do sacramēto. q̄ p̄ sacramentū confirmatōis datur etiā bene esse anime humanae

Capitulum.lxxii. **D**e tertio sacramēto. q̄ p̄ sacramentū eucharistie supra modū bene esse et multiplex gratia donatur

Capitulum.lxxiii. **Q**uod caro christi est penitus contraria corrupte carni primi hominis.

Capitulum.lxxiv. **D**eclaratio p̄ exempla q̄uo vnum corpus xp̄i numero possit simul et semel esse in pluribus locis

Capitulum.lxxv. **D**e quarto sacramēto sc̄ penitēcie: p̄ quam

Tabula

Ilapsus a christi gratia christianus reparatur et bñ esse ei restituitur. Et conditões vere penitentis.

Capitulum. lxxvi. Q[uod] homo christianus multo periculosius cadit post acceptam christi gratiā q̄z ante.

Capitulum. lxxvii. Q[uod] sicut baptismus dimittit reliquias primi lapsus in carne. ita penitentia relinquit reliquias secundi lapsus in anima. et quomodo expiantur.

Capitulum. lxxviii. Que sunt illa que possunt inducere hominem lapsum ad penitentiam

Capitulum. lxxix. De quinto sacramento quod est extremarnatio p[ro] quam datur homini bene esse et gratia

Capitulum. lxxx. Sextū sacramentū est ordo p[ro] quod caracter im̄p[on]it spūalis potestatis sacramēta salutis ministrandi.

Capitulum. lxxxi. Q[uod] sacramentū ordinis p[ri]ncipaliter respicit et ordinatur ad sacramentum eucharistie.

Capitulum. lxxxii. De septimo sacramento quod est matrimonium p[ro] quod datur bene esse et gratia. et remedia contra peccatum. et ppter duas causas deus matrimonium instituit.

Capitulum. lxxxiii. De vniuersali iudicio: et ostendit de necessitate venturum: cu[od] generali corporum resurrectione. et hoc pbat diuersis rationibus.

Capitulum. lxxxiv. Q[uod] generale iudiciū o[mn]i corp[us] mortuor[um] vniuersale p[re]quirit resurrectōem. et q[ui]li corpe mortui resurgent

Capitulum. lxxxv. Q[uod] iudiciū generale futurū sit potest probari ratione honoris. potentie. et sapientie dei.

Capitulum. lxxxvi. et ultimū. De excellentia huius diei p[re]ceris diebus. et de finali retributione.

Explicit tabula capitulo[r]um.

Prologus in dyalogos sequentes: exprimens quod necessarium fit nosse que hic scribuntur.

Hoc queso lector: huc oculos animumque converte. de rebus enim magnis loquuturus sum. **H**ic doceberis quam debetas de te nosse sciā. **H**ic disces quicunque hoc rationalis es quid ipse sis. quid tibi. quid deo: quid primo debetas. **H**ic disces tuum laudare opificem. diligere. honorare. metuere. reuereri. teipsum autem despicer. et proprium amorem. laudem. fauoremque acriter aspernari. **H**ic disces oīm de deo et de homine veritatem. et que tibi necessaria sunt ad oīm pfectiōnē ut apprehendas verā vitā. **H**ic disces quicquid in sacra scriptura diffusa precipitur: et discussio ignoratiōe nubilo lucularius cūcta patescet. **H**ic disces oīes que de deo: de quod homine formari poterūt dissoluere q̄stiones. **H**ic agnosces oīes errores: sectas: et opiniones pharaoꝝ. paganoꝝ. hereticorū. et quicquid sane fidei patriarcharū est facile apprehendes. **H**ic tibi quicquid sparsum in sacris doctorib⁹ libris disputatum est collectum oppadietur. **H**ic disces a quo et propter quid factus sis. quid bonum quod uisit malum tuum. quid obligaris. cui. et propter quid obligatus sis. **H**ic disces agnosceri ruinā. corruptionē. cladē. miseriā. et damnationē generis humani. et unde hec mala oīa pullularint. **H**ic disces quid hoc in prima conditiōe fuerit. unde ceciderit. quo iherit. in quos latrones inciderit. quas plagas suscepit. et quas longe a prima pfectiōne exularit. et quibus tandem remedijs: et cuius miseratio repatus sit. **H**ic disces oīm humilitatē. obedientiā. benignitatē. iusticiā. charitatē. veritatem. **H**ic aspiceris omnē arrogantiā. superbiam. inuidiā. et quicquid virtutis est et genere cosequens. **H**ec tibi magis cognitu sunt necessaria quas si nosces siderū cursus. herbarū vires. et quicquid aut poeta aut rhetor instruit aut phis. **V**ana est enim oīs industria que non innitiā scientie dei. **H**ec scia argumēta affert solidissima quibus propter contradictione nemō arguit enim per ea que sunt cūctis certissima. ut sunt hoc ceteraque creature. atque ideo hec scia non alios testes exigit propter hominem qui hec norit. **N**ec te scandalis et rogo quod a rebus infinitis et humiliis exordium sumit. hec enim humilia ad summam te fastidia.

*Nota utilitas
tem magnā in
lōe huī libri*

Prologus et introductio

subleuabūt. Quāto nempe in īmo foderis fundamentū tanto celsiora culmina poteris sublimare. Hā principia huius artis res sunt q̄ t̄ palpari t̄ cerni p̄nt: que quāto sunt viliora tāto s̄ firmiora ad id qd̄ pbare cōtendimus. Scripturas sacras facile q̄s īmpia interpretatione subruere p̄t: sed nemo est tā execrā di dogmatis hereticus q̄ nature librū falsificare possit: in quo manifestis obtutib⁹ om̄ia p̄palantur. Pronus igit̄ mi suauis sine lector istuc accesseris: animi tui lucra maxima reportatus. Humq̄ te liber iste dīmittat donec in gemitū lachrimasq; soluaris: t̄ scelerū tuorū te peniteat. Qx si tā dura p̄cordia possederis ut īgemiscere ac dolere nō possis: iam acriter p̄timesce quia cor durū male habebit in nouissimis. // Finit prologus.

Inter magistrū Raymūndū De bundium: t̄ dominū Dominicū seminarierb⁹: de natura hominis inquantū hō est. t̄ de hijs q̄ sunt nccāria homini ad cognoscendū seipm. deū. t̄ p̄tinum. t̄ oē debitū quo deo obligatur t̄ p̄ximo: disputatio incipit feliciter.

Iagogicū seu introductorium in materiam subsequentem. // Raymundus

Unde nunc venis mi dominice: et quorsum sub hoc diluculo maturas iter. // Dominicus Huc ad te ppero. te qro. te desidero mi raymūde suuissime. // Raymundus Gratissim⁹ mihi hospes aduenisti: neqz em̄ inter mortales quispiam est quē iocūdius exceperim. Sed qso te quid añ ortum solis oīus surrexisti. rem certe grandē aliquam meditaris. // Dominicus. Hesterno sero cū essem in gymnasio tholozano: post varias qstiones explicitas audiū illic a narrantib⁹ hijs dieb⁹ qbus p̄cōi vtilitate absens fui mirabilem te oībus coram disputatōem habuisse: qua sanctiore vtiliorē ve nemo se vñqz asserit audisse: tanteqz fuisse virtutis vt nō illum ullatenus arbitren̄ hoīem: neqz spem habere salutis qui ea nō fuerit a vicijs ad iusticiam permittatus. // Raymundus. Multū mibi hoīes tribuūt: sed ip̄i viderint qua id faciant rōne. ego fructum inge

in materiam sequentē.

nisi mei domino dedicaui. // **Dominicus.** Justissime id facis
Sed obsecro te (hac em causa tam mane in tuū hunc agrū fe
stinus descēdi) ut mihi que illic a te disputata sunt scriptis co
ram exhibeas // **Raymūndus.** Scripta est fateor disputatio il
la: sed hec mi dominice Aurelius sulpicius amicus noster (ia
ferme mēsis est) librū illuz ut sibi describeret asportauit **Quid**
igī tibi nunc faciam // **Dominicus.** Nūquid tu me vacuum
patieris abire. nūquid ideo sine doctrina es: aut industriā om
nē p̄didisti quia liber ille a te dimissus est // **Raymūndus** Sed
quid tibi vis faciā. // **Dominicus.** Lerte ut videā. aperi mihi
lumen ingenij tui et illā sapientiā qua librum illum dei munere
condidisti: rursum queso mihi clemēs aperias. **A**hibil tibi ob
fuerit immo p̄derit multū si rem tam salutiferā etiā septies re
sumpseris. **P**restare etiam debes hoc amico tuo quē tua dig
natōe semp ex animo charū habuisti: et in petitōe tam nccāria
non fatigari. // **Raymūndus** En pareo libens votis tuis: et
triū dierum disputatōi me promptū exhibeo. **D**um igī mate
riam a fundamētis exordior tu diligenter aspicio et sapienter
interrogato // **Dominicus.** Faciam quod hortaris. // **R**ay
mūndus. Animus humanus circa inquisitōem veritatis occu
patus nunq̄ an quiescit donec ad ultimū venerit certitudinis
gradū. **V**irtus aut certitudinis ex firmitate testimoniorū seu
testium generat. qui quāto fuerint magis manifesti: lucidi: pro
pinqui: tāto certiore fidem credulitatēq̄ p̄stituit. **V**erū quia
nulla res est magis nota: propinq̄. intrinseca alteri q̄ ipa sibi
ideo q̄cquid p̄ propriā ipsius rei naturā ostendimus: id solidis
simū: id verissimū est. **E**t idcirco omne quod de hoie monstra
turi nūc sumus p̄ ipius hois naturā: maximā dictis nostris fi
dem faciēt. **S**ed qm̄ hō longissime exīt a semetip̄o: nec iā ha
bitat in natuua domo: ac p̄ hoc nec sui meminit: nec se cogno
scit: nec q̄ sit nobilis et ingenua creatura intelligit. ideo omni
no nccāriū est vt p̄ res inferiores q̄ extra cognoscit ad sui cog
nitōem reuocet. **I**t ḡ ad se possit ascēdere: scala triū gradiuū
opus hz: q̄s dū scādere hoc ē agnoscere incipit: incipit et agnos
cere semetip̄z: id ei summope ē illi nccāriū. **H**uiusq̄o scale ḡdus
adeo solidi s̄t: et robusti ut scādes titubare nō possit aut cadere

Dialogus Primus

Volens igitur hō ad seipm introire pmo p̄sideret rerū creatarū ordinē inter se. **S**cđo p̄paret hoīem ad ceteras res penes cōuenientiā r̄ dñam earundē. **T**ertio p̄ hanc compationem ascendat hō ad seipm. r̄ a seipo ad oīm conditorē deū. **T**u igitur mi dominice si cupis in hijs q̄ dicturus sum pficere: hanc scalā diligenter aspicio. **Dominicus.** En p̄paro tibi cordis oculos. tu mibi hanc scalā oculis expone. **F**init ysagogicū.

Hic incipit scala nature per quā homo scandit ad semetipsum

Capitulū primum.

Raymūdus. Disputatōis igitur nostre hoc sit exordium. **E**ntū: quedā sunt que hñt esse tm̄. sunt que hñt esse r̄ vivere. sunt que hñt esse vivere r̄ sentire. sunt postremo q̄ habēt esse vivere sentire r̄ intelligere. **H**ec est scala nature que oē in se ens manifeste p̄plicat. **Dominicus.** Video scalā istā. sed quorsum p̄ eam me iubes ascēdere. **R**aymūdus. Dicā tibi sed expecta parump donec hos scale gradus q̄ ternos in suas ptes breui sermone distinxero. **Dominicus.** En sisto pedē tu vero p̄gredere. **R**aymūdus. Earū rez que habēt esse tm̄ multiformis dñia est. Hā eti in hoc vno p̄ueniant q̄ hñt esse recipiūt tm̄ hoc esse: ista quidē clarius: ista vero obscurius. In ter elemēta em̄ aqua dignior est terra. r̄ ignis supra aquā r̄ aerem multo p̄clarior. Iste gradus p̄plicat cuncta que generantur in visceribz terre. vt sunt mineralia r̄ metalla om̄ia. argentū. viuū. plumbū. ferrū. cuprū. stannū. argentū. r̄ aurū. Quid autem horum sit altero p̄stantius facile est aduertere. In hoc gradu est lasurium quod aurum precio superat. sulphur. salpētra. salgēma r̄ cūcti lapides p̄ciosi: vt sunt carbūculus. hiacintus. sinaragdus. ametistus. thopasius. corallus. H̄i oēs magni sunt p̄cij: magne pulcritudinis r̄ virtutis. In hoc p̄terea ḡdu sunt oēs celi: om̄ia corpora celestia: oēs sphere: sidera: r̄ septenā planetarū lumina. Artificialia quoq; ad istū referunt gradū: que eti inter se de nobilitate p̄pugnant: in hoc tm̄ cūcta cōueniūt q̄ esse tm̄ hñt r̄ nō vivere. **Dominicus.** Lū voluptate te capio disputantē: verū ad scđm gradū pfiscere. **R**aymūdus. In secūdo gradu sunt illa oīa que solū hñt esse r̄ vine

Capitulum Primum

re. cuiusmodi sunt omnes plantae: arbores et herbe. **H**enempe vitam suam oculis nostris insinuat: dum videmus eas sursum deorsum: an et retro ad dexteram sinistraque moueri. **A**ttrahunt terra suum unde se nutriunt alimentum: crescent: augmentantur. et flores. frondes. fructus. seminaque producunt. **H**abent enim intra se virtutem quandam qua facile ista perficiant. **S**ub isto gradu innumerabiles ponuntur arbores et herbarum species: quae inter se fructus. sapores. odores. virtutes. coloresque longissime separantur. **O**mniis una vivendi ratione: sed nobilitas dignitasque non una

Dominicus. Si fuerit quispiam qui digneat aduertere: facile que dicis aspiciet **R**aymundus. Porro in tertio gradu animalia cuncta recipiuntur: quibus esse et vivere et sentire indulxit est. **A**d sensum enim visus requiritur et auditus: gustus: odoratus et tactus. **A**d istum gradum referuntur cuncta que mouentur in terris vel in aquis. vel que in liquido aere percolantur. **C**onsidera nunc rego quanto sit inter quadrupedes: pisces: volucresque distantia. **N**am sicut genus a genere: ita et a speciebus species separantur. In animalibus aut tres gradus inuenies. **H**abent enim quedam que habent sensum tactus: sed neque auditum habent neque memoriam. ut sunt cochilia et minuta animalia arbores et herbarum affixa radicibus. **E**t iste primus est atque infimus gradus. **H**ec animalia quia memoria non habent ideo nullam habent prudentiam: nec se de loco ad locum possunt promouere. **Q**uedam vero sensum habent tactus et memoriam: sed auditum priuantur: ut sunt formice et huiusc generis animalia: quibus memoria est et prudenter et motus localis. congregantur enim in cibis frumentorum grana ne hiemis tibi fame pereant. **E**thec animalia sunt primis nobiliora: cum illa sint platis propinquissima. **Q**uedam preterea sunt que habent sensum tactus: memoriam: et auditum: ut perfecta queque animalia cuiusmodi est canis: bos: leo: capra. **E**t iste est tertius animalium gradus. qui ideo est duobus primis nobilior: quia a plantis est multo distantior. **N**unc si placet hos quos tibi nature gradus constituti ocius ascende. et in quod sublime te culmen promouerim facile deprehendes.

Dominicus. Ecce ut iussisti concendi. et quartum huius scale gradum quem tu nondum persequitus es celeri calco perde. **N**am in quarto gradu meipsum: hoc est hominem constituto

A iii

Dialogus Primus

cui preter vivere et sentire subest etiam intelligere: discernere
velle et nolle libere. Solo enim libero arbitrio ascendit homo
supra cetera animata: qui potest iudicare: ratiocinari et suscep-
tibilis fieri experientie. artis. scientie. atque doctrine. Hoc mo-
do completa cum suis gradibus nature scala configitur. Bay-
mundus. Recte tu quidem. Num vero in summum huius sca-
le cacumen constitutus oculos queso vndeque circumfer. et inten-
tissimo corde considera quam habeat homo cum rebus se in-
terioribus conuenientiam et quam teneat discrepantiam. Do-
minicus. En facio quod hortaris. tu tamen quo respiciendis
sit ostendito.

Quo homo cum rebus se inferio- ribus conueniat.

Capitulum secundum

Baymundus. Si vigilanti oculo consideres quam conve-
nientiam habet homo cum rebus trium inferiorum gra-
dium naturam et dignitatem hominis perspicue cognosces
et supra hominem deum hominis conditorem intelliges. vi-
debisque dominum innimum scale et ad ipsum poteris festinus ascendere.
Dico ergo breuiter. homo conuenit cum rebus inferiorum
graduum. quia habet esse cum elementis. vivere cum plantis
sentire cum animalibus. Complectitur enim in se homo omnes
perfectiones inferiorum entium. Nam et vivit. et nutritur. et co-
seruatur ab elementis. Conuenit etiam cum rebus secundi gra-
dus. nam sicut arbores et herbe vivunt nutriuntur crescunt et
signantur. sic et homo. Pari modo etiam conuenit cum rebus ter-
tii gradus cum quibus et sentit. videt. audit. sapit. odorat. et
tangit. **Dominicus.** Facile hanc ego conuenientiam ani-
mam duerto. hoc tamen ad magnam redundat hois dignitatem. quae eas
perfectiones quas res habent inferioris diuimus: hoc possidet conuenientiam.
Omnia enim in se continet quae in rebus natura bona sunt. nec ali-
quid pro sibi perfectoris adiungi. Et rogo te ut ex hac rerum omni-
num conuenientia deum mihi ad oculum demostres. **Baymundus.**
Facile (ut credo) mihi concedis. res horum quatuor graduum su-
as essentias suas etiam perfectiones a semetipsis nullatenus possi-
dere. **Dominicus.** Admitto equidem. nullae etem res seipso

Capitulum Secundum

aut pducere possunt: aut pfectionis aliquid tribuere **Bay**
mūdus. Fatearis ergo nccē est vnū esse supremū opificē qui et
hoīem ipm: et cuncta que sub hoīe sunt potēti manu cōstituit.
Omnia em ab ipo producta: omnia pmeſurata et limitata sunt
omnia in numero: pondere: et mensura confecta. **Unus cōdi**
tor: princeps qui pducta oīa ordinavit. vnus qui vnuquodqz
in suo gradu cōstituit. vnus q̄ hos gradus stabilīuit et certis
vallauit limitibus. **Hic talis ac tantus conditor deus est sub**
limis. potens terribilis. et nō estimabitur aliis ad illum. **Si**
me iuncto pede secutus es deum supra hominem inuenisti. ad
deum p̄ hos gradus ascēdisti: et quomodo huic scale innitus
sit luceclarius asperisti. **Dominicus Asperi fateor: et tue do**
ctissime demonstrationi gratias habeo. **Baymundus.** Est
tamen et aliud quiddam qđ ex hac scala poteris intueri. **Do**
minicus. Quodnam illud queso. **Baymundus.** Rerum om
nium vnu tm̄ esse conditorem et gubernatorem deū. qđ quidem **est deus**
ex hijs q̄ iam dīcimus facile demonstrā. Licet em in hijs q̄t
tuor gradibus sint plures et innumerabiles res inter se admō
dum dīverse: nō est tamē nisi vnu ordo inter eas et ad vnum
aliquid referuntur. Ascendunt em de gradu in gradum: et ad
id quod dignius cuncta contendunt. **Videmus em quoniam**
elementa plantas subintrant et nutriunt et fructiferas reddunt.
Fructus vero fruges et herbe intrant animalia et ea nutriunt
Lernes autem animalium hominē cibant et ad incrementa p
ducunt. Corpora quoqz celestia ut sol et luna continue influunt
in ista inferiora et ministrant eis vigorē: calorem: et lumē. **Quia**
ergo vnu est omnium ordo: vnu est etiam omnium ordina
tor: moderator vnu et artifer: qui tam diuersa uno ordine so
ciauit. **Dominicus.** Libens assentior. Nam et elemento
rum contrarie qualitates nunqz possent uno ordine ad inui
cem pacifice sociari. nisi esset vnu solus moderator qui om
nia ordinaret. **Video preterea innumerabiles rerum natu**
ras ad vnam solam tendere naturam specificam hominis ut
eam in esse conseruent. Currunt ergo omnia ad vnitatem. ad
bonitatem. ad fortitudinem. ad conseruationem. **Ex hijs col**
ligo humanā naturā tēdere debere ad vna solā naturā sibi sui

Q̄ ex cōueniē
tia rez ad inui
cem deus cōdi
tor: demonstrat

A iiiij.

Dyalogus Primus

periorem et dominatatem, cui debet ministrare: colere: inherere
Una ergo et sola est supra hominem natura: quam deum et dominum et regem et principem nostram
mus. **Raymundus** Probemus intelligis. Sed hunc rex omnium principem deum non unum esse species: sed unum numero nescire est ut agnouerit. **Dominicus**. Ve

Non deus est
unum numero
hemeter assentior. Nec etiam ea natura que supra hominem est non solum unam esse: immo magis unam quod sit humana natura. Sed in humana natura reputur unitas specifica. ergo divina natura est in individuo una. aliter non est magis una quod sit humana natura. Restat igitur hoc inferendum. quod sicut omnes nature trium graduum inferiorum cum humana natura colligantur: ita humana natura (que est una sola specie) colligata est cuncta superiori nature que tota est una numero. Et sic mundus totus in unum collectus finitur et summaratur in summa ac simplici unitate: quod nulla

Non impossibile potest maior estimari. Non est igitur nisi unus solus deus et in similitudine est esse plures in individuo unum numero. **Raymundus**. Lvcilenta assertio tua. efficacior tamen erit si affirmes non solum unum deum esse. sed et impossibile esse plures deos. quod taliter ostenditur ratione. Si enim existunt plures: aut existunt inter se patrarij aut amici. Si patrarij nulla ratione rex ordo ad unitatem confluere nec dominus pacificus prudaret. Si vero inter se fuerint amici: aut sunt sibi mutuo necessarii: aut unus sufficit sibi. Si dixeris eos sibi necessarios ut alterius ope alter indigeat: tunc quod se quisque est impotens: imbecillus: inscius: ignavus. et sic nulla poterit esse rerum creatione: nec moderatio. sed nec conseruatio quidem. Si vero unus per omnia sibi sufficit: superfluum est igitur alterum ponere. Sed nec rerum natura id voluntarius admittit. Non enim opus est gemino sole: neque ut homo duo capita habeat cum unum sibi sufficiat. **Dominicus**. Concipio rationem. **Raymundus**. Concupiscentias etiam necessitas est hunc deum actu esse infinitum. Si enim humana natura est infinita possibilite: quia quantum ad se attingit multiplicabilis est in infinitum. mare enim existente et feminis nihil obstat quin tertius generetur. Ignis quoque si appetitas combustibile: crescere potest in infinitum. Si ergo hec sunt possibilite infinita: sequitur quod natura divina (que facta non est: et est omnium maxima) erit actu infinita. quia

Non deus est ac
tu infinitus

Capitulum Tertium

inter actū et potentia nullū est dare medium. **E**t quia hec natura nō potest multiplicari p̄ induindua: relinquit q̄ in uno in diuiduo est actu penitus infinita. **D**ominicus **H**irabile ex hac nra disputatōe de deo lumē p̄cipio. **R**aymūndus **D**aio ra videbis cū tibi cepero demonstrare ex hijs quattuor presatis gradibus deum habere esse: vñvere: sentire: et intelligere. **D**ominicus. Oro vt mihi oculis ista demonstres.

Quō deus habet esse. vñvere. sentire. et intelligere

Capitulum tertium

Raymūndus. Cum certissima rōne cōstet deū cuncta creasse: et esse et vñvere sentire et intelligere humane cōtulisse nature. qui ergo hec alijs benefica manu p̄cessit: multo magis in semetipso et vñvit: et sentit: et intelligit. **N**ō em̄ hec alijs cōser reposset si in se vacuus esset. **E**the hec quidē in genere raptim dicta sint: nūc specialius quō deus esse habeat insinuem⁹. **E**sse deī nec habet exordiū a nihilō. nec ab alio. nec ab ip̄o met deo. **D**ominicus. Tria hec que nūc enumerasti: da operā rogo ut exp̄ssi manifestes. **R**aymūndus. Dixi deū nō accepisse esse suū a nihilō. nec ab alio quoq̄. nec a seipso. **N**ō a nihilō. **Q**uomō deus habet esse. q̄ nōens nihil p̄ducit. nihil p̄stituit. **N**ō etiā ab alio quolibet supiore vel priore. quia tūc vere deus creatura ess̄ nō creator. factura nō factor. **N**ō etiā habet suū esse a semetipso: ita vt sibi ipsi tribuerit esse qđ habet. quia tūc aliquā esse nō habuisset. qđ absurdū est dicere. **N**ō refragaris puto. **D**ominicus. Credo vera esse q̄ dicas. **R**aymūndus. Considera nūc preclaram esse dei p̄ditionē. **V**n̄ quia deus esse suū nō recepit ab aliquo nec a seipso. ideo nō recipit multitudinē. p̄iunctōem. p̄positōnem. diuersitatē. sed est simplicissimū: purissimū: indūnsibile et summe vñū. Deus p̄terea est suū met esse: et totū esse. a quo nō esse longissime separatur. Omnia nēpe que p̄ter deū habet esse: habet nō esse sibi p̄iunctū. deus p̄o in infinitū a se abigit non esse: et aī se: et post se.. et ideo deus est ens interminatū. infinitū eternū: sine principio: sine fine. **E**t quia eē dei excludit a se om̄ne nō esse. idcirco p̄tinet in se quicqđ p̄tinet ad esse. Atqđ ideo in se retinet infinitos gradus et rōnes et modos eēndi intra se complectit. **D**eūs infinitos modos

¶ **D**ialogus **P**rimus

Sicuti si esset aliq̄s numerus actu infinitus hic infinitas numerorum species in se veraciter pertineret. **M**onicus. Intelligo magnifice cūcta que loqueris. q̄r nisi dñs deus noster infinitos essendi modos intra se p̄cluderet: posset augeri et crescere in h̄s que nō haberet: nec eēt cōpletus nec pfectus deus: essetq; nō ens sibi p̄iunctum. qd̄ impiū est asserere **R**elinquit ergo q̄ deus est ens actu altissimū: p̄pletissimum: pfectissimum et maximū. **E**st preterea immutabilissimū. q̄r si mutaret habeat nō esse loci ad quē. **E**t ideo est in om̄i loco. in om̄i tamen non habēs p̄teritū neq; futurū. sed tm̄ esse p̄n̄s. id est nihil noui acq; rere p̄t: nec pdere quicq;. **E**st igit̄ deus fons et mare cēndū infinitū: sine mēsura: sine termino: sine fundo. ¶ **B**aymūdus p̄

¶ Qn̄o possunt
eē plura entia
infinita.

to te etiā intelligere vt qm̄ diuina cēntia excludit a se om̄e non eē. iō nō posse esse plura entia infinita. **S**i em̄ due cēnt infinitae substātie: esse vnius nō eēt in altero. et sic neuter deus eēt pfectus et infinitus: cū vterq; haberet sibi p̄iunctū nō esse alterū. **P**reterea q̄ deus abijcit a se oē non eē. iō debilitas: impotētia: ignorātia longissime ab eo remouent. **T**enemus ergo deū summe eē virtutis. potestatis. sapientie. et maiestatis: cui vniuersi creandaz rerū potētia tribuaf. ¶ **M**onicus. **H**abēt hec que dixisti ex p̄cedentib; p̄sequētiā. vnu tamē abs te interrogo. **D**eus q̄r abigit a se om̄e nō esse. iō nccārio intra se cōtinet om̄e esse. **S**equit̄ ergo q̄ deus h̄z in se eē terre. esse aque. eē aeris et ignis. eē quoq; asini: bouis: leonis. **S**ed nunq; deo tera ē: aut aer: aut ignis: aut asinus: aut leo. quis sane mētis ista dixerit. ¶ **B**aymūdus. Facile respōdeo. **D**uplex est esse terre aeris. ignis. om̄iq; rerum conditaz. **V**nuz qd̄ in se habēt et in natura ppria quam videmus. Aliud quod in suo habēt cōditore: qd̄ videre nō possumus. **R**es ergo create iuxta esse quod habēt in sua natura nullatenus sunt in deo. q̄r esse dei tale esse habere nō potest: cū sit ipse incōpositus: indiuisibilis: immutabilis: eternus. **O**mnia aut̄ creata de se sunt corruptibilia: cōposita: mutabilia: finita. taliter ergo nō sunt in deo. **S**ed qm̄ deus habet in se om̄e esse: ideo om̄nes res create sunt in deo vt in suo creatore: moderatore: conseruatore. **C**ape manifestum exemplum. **D**omus quam tu fabricasti habet duplex eē.

¶ Quo deus in
se habz oē elle.
et qualiter oīa
sunt in deo

¶ Capitulum Tertium

Unū quod extra videmus in p̄pria natura. alīud qđ nō vide
 mus in mēte artificis Ita & de rebus creatis itellige **¶ Domini**
cus. Sed si deus abiicit omne nō esse. ideo nullum eē potest
 extra deū haberi. sed creature habet (vt certū est) esse reale ex
 tra deū. ergo vel tale esse est etiam in deo: vel deus non habet
 omne esse **¶ Raymūdus.** Fortiter me p̄mis Primū dico. sepa
 ra mihi ab omni recreata omne compositū: oē corruptibile. om
 ne finitū. mutabile. caducū. diuisibile. & breuiter omne qđ sonat
 impfectionē atqz indigentia. Quod dū feceris vide si nō tunc
 omnia creata sunt in deo: imo ip̄e deus. Habet ergo deus oē
 esse reale rerum intra se. seclusa tamē a rebus omni impfectione
 que deo pfectissimo admisceri nō potest. Dico secūdo omnia
 entia eē in deo sūm triplicē cause respectū. Exempli gratia: do
 mus fabricata respicit p̄mo suum artificē vt causam efficientē
 secūdo vt causam exemplarem ppter similitudinē quā in suo ge
 rit opifice. tertio vt causam finalem ppter quem domus ipsa
 sumpsit originem. Pari modo de rebus creatis & suo conditore
 cogita: in quo sunt vt in sua causa efficiēte: formalī: & finali. nō
 aut̄ materiali. quia mundus ex nihilo agente deo cōstitutus est
 Est etiā mundus in deo vt in suo gubernatore. p̄sore. p̄ser
 uatore. p̄pagatore **¶ Dominicus.** Adiutus sum respōsis tu
 is. at qm̄ in rerum pductione incidimus: oro te vt quō a deo
 mundus pcreatus sit breuiter edisseras **¶ Raymūdus.** Faciā
 quod p̄caris. Primo noueris mundū p̄ modum artis a me
 no deo nō natura neqz ex necessitate pductum. Nā exquo de
 us habet arbitriū liberū. ideo omnia pducit intellectu & volun
 tate. Et quia mundi productio est artificialis. ideo non est de
 natura sui opificis Preterea sicut artifex pducit domū iuxta
 similitudinē quam gestat in mēte. ita & deus pulcrum pulcer
 rimus ipse mundum mente continuuit: et simili imagine extra
 in esse constituit. Et sicut artifex ante productionem habet in
 intellectu formam & similitudinem rei producende. alias eam
 producere non posset. Ita deus nunquam extra se mundum
 formaret. nisi ipam ydeam mundi prius in mente sua teneret.
 At quoniam deus hanc mundi similitudinem non potuit ali
 unde ab aliquo extrinseco recipere. ideo ab eterno eam in suo

**Quō deus cre
uerit mundū**

¶ Dialogus Primus

retinuit intellectu. ac pinde mūdus est in deo eternus. atq; id
ipm quod deus. Verū quia esse dei est multo p̄clarius. digni
us ac nobilius q̄z esse mūdi extra pducti de nihilo: iō dignius
et illustrius esse habz mūdus in deo q̄z in semetip̄. Preterea
sicut artifex ipse p̄t innumerā domus pducere p domū quaz
gestat in mēte: ita t deus si vellet infinitos adhuc mūdos for
maret ex mundi imagine quā retinet in corde. Et sicuti artifex
meliori qua p̄t industria t iuxta cōdignam exigētiā domū p
ducit. ita t deus mundū quē condidit summā illi t cōdignam
pfectionē donauit. Verū in hoc fallit exēplum artificis t cōdi
toris. Nam qm̄ artifex solā ponit formā in materia: nec tñ fa
cit ipam materiā. ideo nō nccē est vt sp cū sua domo pmaneat
Potest em̄ domus p̄sistere ipso ruete. At nō ita est inter crea
turā t plastem suū Deus nēpe nō solū ponit formā in materia

Deus semper s; t ipsam materiā de nihilo pducit Idcirco mūdus nccāriam
est oī creature habet cōtinuam p̄ntiam dei. nec posset ad momētum vnū p
sistere. sed p̄ p̄ceps iret in nihilū si suaz illi deus subtrahat ma
num Portat igī deus robustissima manu sua mundū vniuer
sum. illum creans. illū moderās: p̄seruans: t ad finē debitum
cūcta pducens. At qm̄ hic celsissimus p̄ditor p̄tinue mūdum
p̄seruat t manu retinet ne ruat in nihiluz. iō clare relinquīt q̄
etīa p̄tinue mundum creat. sicut sol sine intermissione suos in
aere radios format. Nisi em̄ incessanter sol a se radios diffun
deret: radioz claritas ptabesceret. Ita t mūdus repēte defice
ret si nō p̄tinue a deo crearet t seruaret **M**onicus Ex hīs
que docte nūc porasti heresis pipatheticoz p̄horum facile cō
uellis: qui mūdum garriūt ab eterno fuisse. qd̄ si vez esset nūq̄
potuisset a deo creari: nec egeret gubernatōe: p̄seruatiōe: dire
ctiōe. Est ergo (vt tu asseris) in tpe t de nihilo a deo pductus
nō necessitate: sed sola dei volūtate. dulcedine. bonitate. libe
ralitate. Hū ergo respicimus ad mundū quem in tāta maiesta
te de nihilo formauit. app̄hendimus dñm deum nostrum for
tissimū. omnipotētissimū. eternū. infinitū. incōmutabilem ac
summe vnuz: immēse maiestatis. glorie. ac celstitudinis. qui de
nō esse vniversa p̄stituit: retinet: t moderat. Hinc vehemēter
culto dū huius admirādi opificis me facturū p̄sidero. t cum

Capitulū Quartum

de nihilo sum ab eo formatus: principalior tamē et dignior psum vniuersi: sub ipso rerū omnīū caput et dñs. **G**audeo igit̄ et tibi raymūde grās maximas habeo qui me in id pduxisti ut non erim me habere tam nobilē: tam sublimē: tam beneficū creatorem: qui me cum nō essem nobiliter creauit. creatū ve-ro pseruat: regit: et dirigit. **A**t nunc vnde paululū digressi sumus ociis reuertamur.

Sicut deus habet esse ita habet et vivere: sentire: et intelligere

Capitulum quartum

Baymundus. Animaduertisti q̄s fructuosus tibi fuerit excursus noster: verū vt hortaris sicut pauloān de esse dei diximus. ita nūc quō deus vivere habeat differemus. **S**i cū p̄ esse mūdi qđ cernimus arguimus aliud esse qđ non cernimus: sic p̄ ea que videmus in mūdo vivere: deū vivere manifeste colligimus. **N**unq̄ em̄ mūdns vivaret nisi deus aī vi p̄isset. **P**reterea cū deus nccārio habeat esse: habeatq̄ q̄cquid cōuenit cū esse: cū esse dei separata se om̄e non eē. ideo nccārio habet et vivere. q̄r vivere cōuenit cū esse. **V**vitere em̄ ipm̄ esse nobilitat et illustrūs reddit vt videmus ad oculū in creaturis. **S**i em̄ deus haberet eē sine vita: sensu: et intellectu: tūc eē dei nō includeret oē esse. quia vita: sensus: et intellectus sunt res reales: que ab infinito esse separari nō p̄nt. **E**t ideo manifeste colligit: vt quia h̄z esse: habet nccārio et vivere: et sentire: et intelligere. **D**ominicus Nihil verius. sed q̄r deus est ens simpli et vivere et intelligere ī deo. **O**uivere et intelligere ī deo id ē sunt qđ ec.

B i.

Dyalogus Primus

creatū viuit in deo. & ideo deo oīa viuūt. nec aliqd in deo mō
ritur **Raymūdus.** Dulcre admodū intelligis dictū nrī euā
geliste: qđ factū est i ipso vita erat **Nā** ex quo oīa viuūt in deo:
De sentire dei creature oēs que nūc viuūnt etiā anteqz in se viuerēt in deo vi
uebant **Terū** nūc de ipso sentire pauca dicamus. **Hic**ut em
sensum in aīantibus esse videmus: ita deū quoqz (q sensum il/
lis largitus est) sentire cognoscimus. **P**reterea si deus h̄ om
ne esse: habet & sentire. qr sentire est esse: & valde nobile ēē. ideo
nccārio est in deo. alioqn nō excluderet a se oē non ēē. **E**t sicut
ti deus est suū esse & suū viuere: ita est & suū sentire. qr viuere &
sentire nō faciūt in deo vllā distantiā. **R**elinqtur ergo qr de/
us audit: videt: odorat: sentit & tangit **Nō** tñ eo modo quo id
animātibꝫ cōuenit. sed inuisibiliter spiritualiter: realiter tñ. **S**r
h̄s vero que nūc de esse: viuere: & dei sentire diximus puto te
optime p̄prehēdere quid de suo intelligere dicere debeamus.

**De dei intel/
ligere.**

Dominicus. **C**ōprehēdo plane: nccārio em sequit ut q ho
mini intellectū tribuit: cū is sit inter dei munera nobilissimus
ipse quoqz intellectū habeat oportet. **E**t quia intelligere est ēē
uno prestantissimū esse. ideo si deus habet oē esse: habet & tel
ligere. **P**reterea sicut esse dei est incōmutabile: nec p̄teritū re
cipiens nec futurū: sed pñs solū. ita intellectus dei nō discur/
rit ab uno in aliud: sed sunt ei ab eterno pñtia oīa. **E**t sicut nō
eget deus aliquo ad essendū: ita nullo indiget ad intelligendū
Quia vero ēē dei est infinitū: & cōtinue suū ēē intelligit: ideo sp
intelligit infinitū. **E**t qr in suo ēē totus est mundus & quicqd ad
huc esse p̄t. intelligēs ergo suū ēē: totū mundū simul intelligit
et quicqd potest ēē. **E**t sicut in deo sunt oīa simul: ita simul oīa
intelligit: videt: & cognoscit p̄ suū esse tanqz p̄ speculū vniuer/
sale. qđ est oīm rerum cōis ydea. **A**t p̄o qm tantū est suū intel
ligere quantū & suū esse: ideo cū summa voluptate intelligit se
habere eternū ēē: eternū viuere: se ēē immortalem. oipotentis/
simū. pfectissimū. & id verissime se ēē quod in veritate est. **E**t qr
esse atqz intelligere in deo idem sunt: ideo & se intelligere intel
ligit & sapere cognoscit. **P**reterea quia deus habet in se oīe
esse & omnes essendi gradus. intelligens ergo suum ēē: intelli
git simul infinitos existentie gradus. atqz ideo actū intelligit

Capitulū Quartum

totum esse mundi: et omnes species: naturas omnes: et in dīni
 dīa omnia: et quicquid vñq; aut finit: aut est: aut futurum est:
 aut esse potest. **U**no ergo intelligētie obtutu terribilis ille ma-
 iestatis oculus videt numeratq; totā arenam maris: aquarū
 et pluuiarū guttas. omnes partes terre: et que in terra: aut
 in visceribus terre: aut in vndis et fluminib; generant. **O**m-
 nes itidem stellas celū: virtutes et cursus earum. omnes dies
 seculi et horas et momenta dierum: herbas et herbarum vīres
 arbores oēs: fructus et frondes: semina et grana omnia. **N**o-
 minum quoq; demonum et angelorum cogitationes: intēcio-
 nes: desideria: opera: et verba singulorum. **O**mnia videt: om-
 nia nouit: omnia discutit: et quicquid abditissimum est clarissi-
 me comprehendit. **O**mnia enim nuda et aperta sunt oculis eius
Ex hīs manifestissime lucet dei intelligentiam: dei noticiam
 infinitam esse: innumerabilem: incomprehensibilem. **R**ay
mundus. **C**um ingenti gaudio te hec audio differentem **O**p-
 time comprehendis incomprehensibilem esse dei eētiam: vitam:
 sensum: atq; intellectum. que quia in deo vnum sunt qui vnu
 ponit omnia ponit: et qui vnum tollit omnia tollit. **Q**ui em di-
 cit deum nō intelligere: negat et deum esse. **E**t quia ens verū
 et bonum conuertuntur: qui negat deum esse: negat deum et
 bonum et verum et iustum esse. **S**ed patere queso ut paululum
 lōgīs te protrahā. **D**ominicus. **P**atior qdvis **R**aymū
dus. **V**ides ne igit ex hīs q; iā diximus manifeste seq; vt p̄nter
 dicamus deū incorporeum eē et liberū hīc arbitriū. **D**ūnicus.
Per rimas (vt auīt) hec vtcūq; video. oro tñ vt palā mīhi ista
 demōstres. **R**aymūdus. **D**iximus sup idē esse in deo itelli-
 gere. sentire: vivere et cē. s; intelligere est spūale. g; et sentire et vi
 uere et cē in deo penit est spūale. **E**st g; deus natura spūalis in **Q; deus est**
 p̄positus: imptibilis: simplicissimus. **H**inc sequitur q; deus est in
 corporeus: impalpabilis: iniūibilis: nec aliq; sensu corpeo p̄cep-
 tibilis. **D**ūnicus. **H**inc pulcre elidiſ heret antropomorphi-
 tana: q; asserit deū hīc hūani corporis effigie: boiemq; iuxta hāc
 mēbroz suoz descriptōem ad suā imaginē pdidisse. **H**ūc erro-
 re neq; sumus ipostor machomet in suo alchorano: et iudei in
 suo libro quē thalmud vocitant lōgissimis fabulis psequunt̄

Dyalogus Primus

Nos vero qui scimus quoniam spiritus est deus: ipsum in spiritu adoramus. Hinc deus optimus: maximus honestus intellectus contulit a quo solo potest cognosci: diligi: reuereri. Hoc gratia homo post mortem accipit deum per munere: inuisibilem: immensurabilem: incapabilem. Intellectus enim humanus adeo nobilis est ut non possit caducis et visibilis bonis munerari: et ideo bona intellectus sunt spiritualia: eterna: infinita semper permanetia. Nunc descendat quod deus habeat liberum arbitrium oculis exequere

Q) deus habet voluntatem et librum arbitrium

Capitulum quintum

Raymundus. Qui homini liberum contulit arbitrium deus manifestum est quod et ipse liberum arbitrium habeat: quod nihil dat quod non habet. Preterea si deus habet esse intellectuale: hoc etiam et velle. quia intellectus sine voluntate esse non potest. Et sicut deus habet esse primum: ita voluntas eius est prima voluntas: nec sequitur ullam aliam voluntatem. idcirco quod deus vult: sua id vult propria voluntate. Et quia in deo esse et velle idem sunt: ideo quecumque de dei esse supra diximus: de sua voluntate dicere tenemur. quod videlicet est immutabilis: invariabilis: eterna: prepletissima: plenissima: omnipotentissima. Et sicut deus intelligit se primo et suus esse: ita vult primo seipsum et suam plenissimam perfectionem. Et quemadmodum habet: ita et cupit sibi ipsi omne bonum: omne gaudium: omnem solacium. Est ergo in continuo iungitur leticia: et habet eternum gaudium intra semetipsum. Preterea cum voluntas in deo id est quod intellectus: cuius prima opatio est intelligere proba sensumque verborum. Secunda discutere per rationem an res intellecta vera an falsa sit iusta vel iniusta. Tertia opatio quod verum et iustum est approbare: reprehendere autem quod falsum est. Quia ergo voluntas et intellectus in deo unum sunt: non potest sua voluntas ab intellectu discordare facere. ideo deus nihil potest velle contra rationem nec contra iustum iudicium intellectus. Idcirco diuine operationes iuste sunt rationabiles: ordinate: sancte et vere. et voluntas eius semper est rectissima: iustissima: ordinatissima: et prima regula que obliquum et in transversum duci non potest: nec a veritate ullatenus declinare. cum sit ipsamet veritas. Que etsi mala aliquantum iniusta fieri permittat.

**Nota tres operae
de intellectus**

Capitulum Sextum

nunq̄ tū ea inordinata relinquit: sed ea s̄q̄ dirigit in bonū fine

Dominicus. Hinc manifeste colligit nunq̄ debere homi
nē murmurare p̄tra voluntatem dei. sed equo animo perferre
quicqd in illū diuina censura decreuerit. Et ideo volūtas que
ab hac diuina et p̄ma voluntate discordat tortuosa est: inordi-
nata: iniusta: penis digna atq; supplicij **Raymūdus.** **U**e **Q** ex libero
rum asseris. sed nūc sequere me queso: et ex cognitione liberi ar-
bitrij de deo tuo stupenda magnificaq; pgnosces. Ex quo em̄ **O**is eius p̄fec-
